



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

COLUMBIA LIBRARIES OFFSITE



CU01937375

875-W179

875

W179

**Columbia University**  
**in the City of New York**

**LIBRARY**







AULAE ACADEMICAE

AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI REGIS WÜRTTEMBERGIAE

**G U I L I E L M I**

**RECENS CONDITAE DEDICATIONEM**

DIE XXXI. OCTOBRIIS

SOLLEMNITER OBEUNDAM

PRAEMIORUMQUE A CIVIBUS ACADEMICIS REPORTATORUM DISTRIBUTIONEM

INDICUNT

**RECTOR, CANCELLARIUS ET SENATUS**

LITTERARUM UNIVERSITATIS TUBINGENSIS.

---

PRAEFATUS EST

**CHRISTIANUS WALZ**

D E

( **RELIGIONE ROMANORUM ANTIQUISSIMA.** )

PARTICULA I.

---

**TUBINGAE,**

LITTERIS FUESIANIS.

1845.

875

W179

**Q**uoniam prisco usu receptum est, ut sollemnibus academicis disputatione aliqua de rebus ad litteras pertinentibus proludatur, materiam quaesivimus, quam major civium nostrorum academicorum pars non prorsus a se alienam esse putaret. Itaque si

de religione Romanorum antiquissima

disputaremus, et theologis philosophisque nostris, quibus omnia, quae ad religionum historiam spectant, curae cordique sunt, et juris reique publicae ordinandae peritis, qui quaecunque ad illustrandam romanam historiam spectant benigne accipiunt, denique naturae reique rusticae studiosis, quos naturae vires divino honore habitae Deorumque agrestium cultus delectant, aliquo modo satisfacturos nos esse censuimus.

---





**P**rimos Italiae incolas quum magnae Pelasgorum genti adnumerandos esse constet, ex eodem fonte etiam antiquissima eorum religio repetenda videtur. Quae de re si apud Romanos Graecosve scriptores disertis verbis nihil pronuntiatum invenimus, id nos nullo modo poterit morari, quin rara sive librorum sive monumentorum vestigia persequamur, eorumque ope, quantum fieri potest, in obscura illa tempora lucis aliquid conjiciamus.

Ut apud omnes populos rudes et incultos rudia symbola Deorum instar culta esse scimus, ita apud veteres Italos eundem morem obtinuisse deprehendimus. Horum antiquissimum est phallus, quem in muris, quos ad Graecorum <sup>1)</sup> scriptorum exemplum Cyclopeos vocamus, Alatriam, Ferentinum, Arpinum, Terracina, Interamnam <sup>2)</sup> aliasque urbes cingentibus effictum videmus. Eandem imaginem in multis Samnii muris se deprehendisse testatur Schnarsius <sup>3)</sup>, qui accurata hujus regionis paene incognitae descriptione, propediem in lucem edenda, de hac antiquitatis studiorum parte optime merebitur. Priusquam vero ad hos muros tanquam certa Pelasgorum monumenta provocemus, non possumus non ea, quae nostra aetate a gravissimis viris contra constructionis hujus aetatem prolata sunt dubia, diligenti examini subjicere. Primus enim, quantum scimus, Micali <sup>4)</sup>, quem antiquitatis studiis praematura morte ereptum esse dolemus, hanc constructionem ad urbes muniendas commodissimam ab antiquissimis inde Italiae temporibus usque ad reipublicae Romanae finem in usu fuisse censuit. Hanc sententiam a Micalio nullis argumentis firmatam qui paucis abhinc annis

1) Eurip. Iph. A. 265.: ἐν Μικῆνας δὲ τὰς Κυκλωπίδας. Herc. Fur. 15: Ἀργεῖα τεῖχη καὶ Κυκλωπίαν πόλιν. Troad. 1088: Ἀργεῖοι — ἵνα τε τεῖχη λάβω Κυκλώπιδ' οὐράνια νέμονται. Electr. 1158: Κυκλωπίαι τε οἰράνια τεῖχη. Strab. VIII. p. 369: ἐφεξῆς δὲ τῇ Ναυπλίᾳ τὰ σπήλαια καὶ οἱ ἐν αὐτοῖς οἰκοδομητοὶ λαβύρινθοι, Κυκλώπεια δ' ὀνομάζουσι, coll. p. 375. Alia vide apud Steph. Thes. et Radolph. *Recherches Journal des Savants* 1843. p. 157.

2) v. Micali Monumenti per servire alla Storia degli antichi popoli Italiani Tab. XIII. a. Göttling, *Geschichte der röm. Staatsverfassung* p. 28.

3) Cum aliis in locis, tum in appendice ad *Ephemerides Augustanas* (Allg. Zeitung) 1844. nr. 156.

4) Italia avanti il dominio dei Romani (1810) T. I. p. 81. T. II. p. 152. Storia degli antichi popoli Italiani (1832) T. I. p. 208.

repetierunt viri clarissimi Ed. Gerhardus <sup>5)</sup>, Car. Bunsenius <sup>6)</sup> et nobilissimi architecti, L. Canina <sup>7)</sup> et Promis <sup>8)</sup> has potissimum protulerunt rationes. Signiam dicunt, quae insignes habet horum murorum reliquias, non nisi sub Tarquinio Superbo fundatam esse auctore Livio I, 56: Signiam Circejosque colonos misit, praesidia urbi futura terra marique: Norbam vero Latinorum coloniam <sup>9)</sup> fuisse primis reip. Romanae temporibus novis colonis auctam <sup>10)</sup>: deinde substructiones viae Valeriae et Salariae <sup>11)</sup>, per Sabinorum, Aequorum et Marsorum agrum quinto Urbis seculo ductae, eundem characterem prae se ferre: denique ad murum provocant Ferentinum, cui hodie Episcopi aedes superstructae sunt, eodem modo constructum, quem ultimis reip. Romanae temporibus exstructum esse haec docet inscriptio <sup>12)</sup>:

.... M. LOLLIVS C. F. CES. FVNDAMENTA MVROSQVE  
AE SOLO FACIVNDA COERAVER. EIDEMQVE PROBAVERE.  
IN TERRAM FVNDAMENTVM EST PEDES ALTUM XXXIII.  
IN TERRAM AD IDEM EXEMPLVM. QVOD SVpra TERRAM SILICI.

Horum argumentorum id, quod a coloniis Signiam Norbamque deductis petatum est, mihi quidem satis infirmum esse videtur: nam si Livius a Tarquinio Superbo Signiam Circejosque colonos missos esse refert, ex ipsa coloniae notione apud Romanos recepta <sup>13)</sup> has urbes jam antea habitatas fuisse apparet: idque ipsum accuratiore monumentorum Signiensimum examine probatum est <sup>14)</sup>. Tres enim

5) Annali dell' Instit. Archeolog. T. L. p. 55 (1829).

6) Annali dell' Inst. Arch. T. VI. p. 144. (1834.)

7) Architettura Rom. I. c. 1. p. 32.

8) Le Antichità di Alba Fucense, Roma 1836.

9) Dion. Hal. VII, 13.: Νώρβα ἢ ἐστὶ τοῦ Λατίνων ἔθνους οὐκ ἀγανή.

10) Liv. II, 54. Norbae in montes novam coloniam, quae arx in Pomptino esset, miserunt.

11) Effigiem vides in Annal. dell' Inst. 1834. Tav. d'Agg. C.

12) Gruter p. 165. 3. Annal. dell' Inst. VI. p. 144. Orelli Inscr. lat. sel. nr. 589.

13) Serv. ad Aen. I, 12 colonia est coetus hominum, qui universi deducti sunt in locum certum aedificiis munitum, quem certo jure obtinerent. Eandem notionem apud Dionysium Hal. invenimus, qui II, 50. de Cameria dicit: ἦν δὲ Ἀλβανῶν ἀπόκλις ἢ Καμερία, πολλοῖς χρόνοις ἀποσταλῆσα πρότερον τῆς Ρώμης. τὸ δ' ἀρχαῖον Ἀβοριγίνων οἰκῆσις ἐν ταῖς πάντι ἐπιφανής. — Haud aliter de colonia Circejos ducta censentes consentientem habemus Forbigerum in Real-Encyclopädie der Alterthumsw. Vol. IV. p. 812.

14) v. Lettre de M. Petit-Radel à Monsieur le Duc de Luynes in Annal. dell' Inst. VI. p. 363. cum tabulis adjunctis H. J. — Raoul-Rochette Journal des Sav. 1843. p. 159.

architecti Academiae Gallicae, quae Romae floret, alumni, qui anno nostrae aerae MDCCCXXXII illa monumenta inspexerunt, delineatione facta luce clarius demonstraverunt, duo esse constructionis genera, quorum alterum in acropoli duplici recinctu circumdata adhibitum cum murorum Cyclopeorum structura consentit, alterum characterem illum, a Tarquiniis Romam invectum et in admirabilibus Romae regiae reliquiis, Cloaca maxima, Carcere Tulliano, substructionibus Capitolii et aggere Tiberis etiamnunc conspicuum refert, portamque geminam fornicatam exhibet. Hic igitur monumenta ipsa duas diversas, quibus exstructa sint, aetates produnt; alio vero modo expedienda videntur ea dubia, quae a muro Ferentino et a substructione Viae Valeriae et Salariae petita sunt. Sicklero quidem, qui abhinc triginta et quod excedit annis primus haec dubia movit <sup>15)</sup>, a Dodwello et aliis refutato, res transacta videbatur et in ea sententia acquieverunt archaeologi <sup>16)</sup>, ut illam muri Ferentini partem, in qua inscriptio inest, constructione Romana, ad regulam libellamque exacta factam esse censerent: sed quo minus hanc quaestionem a Bunsenio repetitam cum Rad. Rochetto <sup>17)</sup> prorsus vanam censeamus, nequaquam quidem impedit nostrorum oculorum iudicium, qui tum, cum sedecim abhinc annis Ferentini versaremur, ad antiqua monumenta inspicienda exerceri demum coepti sunt, sed testimonium viri, qui in illustranda artis antiquae historia impigro cum studio elaborat. Ludolphus enim Stephani, quem ex Italia reversum et ab inspectis Latii et Graeciae muris Cyclopeis recens venientem nuper Monachi conveni, ea de re a me forte consultus respondit, eam muri partem, quae inscriptionem gerat, cum reliqua murorum Ferentinorum constructione cyclopea convenire, neque ulla recentioris structurae, antiquis fundamentis impositae, vestigia cerni, id quod inscriptio ipsa probat, quae fundamenta murosque e solo facta esse pronuntiat. Huic monumento si adjungimus substructionem Viae Salariae, quae, ut delineatio a Bunsenio exhibita docet, et ipsa lapidibus quadratis ad regulam

15) v. Millini Magasin encyclopédique, 1811. t. I. p. 241. t. II. p. 301.

16) V. Raoul-Rochette l. I. p. 132.

17) Journ. des Sav. pag. 432: Si quelque chose peut supprandre dans ces luttes de la science c'est qu'après vingt-quatre ans écoulés sur cette malheureuse tentative du docteur Sickler, un écrivain, aussi honorable par son caractère que par son savoir, M. Bunsen, ait cru pouvoir reprendre l'arme brisée entre les mains du critique allemand, et s'en servir de nouveau pour diriger contre la doctrine de M. Petit-Radel une attaque tout aussi vaine que la première, mais peut-être encore moins excusable.

dispositis constat, Gerhardo et Bunsenio id concedendum esse censemus, ut eam murorum Cyclopeorum partem, quae ingentibus lapidibus quadratis ad libellam exactis composita est et ab ipsis hujus sententiae defensoribus recentiori, quam muri polygoni, aetati tribuitur, hoc nomine eximamus: nam haec ipsa structura ab ea, quae post inventam fornicationem ab Etruscis et a Tarquiniorum aetate a Romanis exercita et usque ad ultima reipublicae tempora continuata est, nihil differt: sed hoc nihil valet ad eam illorum murorum partem, quae ex informibus et impolitis lapidibus nullo ordine exstructa est, summae antiquitati deroganda: eosque ut Pelasgis nullo temerarii iudicii metu attribuamus, praeter alia phalli signo in multis horum murorum conspicuo adducimur. Hoc enim naturae genitricis symbolum a Pelasgis potissimum divinis honoribus cultum esse pater historiae, cujus fidem nostra aetas singulis annis contra obtreptatorum criminationes defendere pergit, testatur<sup>18)</sup>, idque testimonium Lemni Imbrique, quas insulas a Pelasgis habitatas esse constat<sup>19)</sup>, nummis confirmatur.

Ad hunc phalli cultum in promptu est referendum esse lapidem illum, qui in Capitolino monte antiquissima religione colebatur, et quum Tarquinius Superbus Jovis Capitolini templum ibi construere vellet, loco moveri nullo modo potuit ideoque templo ipso inclusus est<sup>20)</sup>. Postea cum Numa puriorem religionem introduxisset terminosque agriculturae stabiliendae causa sacrosanctos esse jussisset, lapis ille Termini nomine colebatur, temploque Jovis exstructo pro antiqua Jovis ipsius imagine habitus et Jupiter Lapis appellatus est, unde natum jusjurandum per Jovem Lapidem, quod Romanis sanctissimum erat<sup>21)</sup>.

Hujus religionis aliqua quamvis rara vestigia etiam ad tempus historicum pertinent, e. g. mythica illa narratio, ab reliqua Romanorum religione

18) Herod. II, 51.

19) Herod. VI, 137. V, 26. cf. O. Müller Etrusc. I. p. 77.

20) Ovid. Fast. II, 667.:

Quid nova cum fierent Capitolia? nempe Deorum

Cuncta Jovi cessit turba locumque dedit.

Terminus, ut veteres memorant, inventus in aede

Restitit et magno cum Jove templa tenet.

cf. Liv. I, 55. V, 54, ubi Juventas Terminusque moveri se non passi esse dicuntur, c. not. Drakenb.

21) Cic. ad Fam. II, 12. cf. Coque ad Augustin. de C. D. II, 29. — Beaufort (histor. Reip. Rom. T. I. p. 96. interp. German. a. 1775) hanc fabulam ad lapidem ingentem, Celtarum, a quibus Romanos ortos esse censet, more pro Deo cultum referendam esse censet.

prorsus dissona de phallo in foco Tarquini Prisci e cineribus prominente, a quo Ocrisia gravis facta Servium Tullium peperit<sup>22)</sup>. Progressu temporis<sup>23)</sup> in aliis sacris alia symbola<sup>24)</sup> divino honore habita sunt, ut hasta<sup>25)</sup> in regia Romana pro Marte colebatur.

Cum rudi hac religione sacrificia humana conjuncta fuisse ex multis vestigiis, quae plerumque mythico involucro obducta sunt, elucet. Varrone auctore<sup>26)</sup> Pelasgi, cum sedibus suis pulsi diversas terras petissent, confluerunt plerique Dodonam, et incerti quibus haererent locis ejusmodi acceperere responsum:

*Στείχετε μαίόμενοι Σικελῶν Σατυρῖαν αἶαν  
Ἥδ' Ἀβοριγενέων Κοτύλην ἢ νᾶσος ὀχεῖται,  
Αἰς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοῖβω,  
Καὶ κεφαλὰς Ἀἰδῆ καὶ τῷ πατρὶ πέμψετε φῶτα —*

acceptaque sorte, cum Latium post errores plurimos appetissent, in lacu Cutyliensi enatam insulam deprehenderunt: amplissimus enim caespes, sive ille continens limus, seu paludis fuit, coacta compage, virgultis et arboribus in silvae licentiam comtus, jactantibus per amnem fluctibus vagabatur; — — hoc igitur

22) Dion. Hal. IV, 2.: *φίρεται δὲ τις ἐν ταῖς ἐπιχωρίοις ἀναγραφαῖς ἕτερος ὑπὲρ τῆς γενέσεως αὐτοῦ (sc. Τυλλίου) λόγος ἐπὶ τῷ μυθῶδες ἐξαίρων τὰ περὶ αὐτὸν — ἀπὸ τῆς ἐστίας τῶν βασιλέων, ἐφ' ἧς ἄλλας τε συντελέσαι Ῥωμαῖοι ἱερουργίας καὶ τὰς ἀπὸ τῶν δαίμωνων ἀπαρχὰς ἀγίζουσιν, ὑπὲρ τῷ πρὸς ἀνασχεῖν λέγουσιν αἰδοῖον ἀνδρός. — τὴν δὲ Τανακλυίδα, τὰ τε ἄλλα σοφὴν ὕσαν καὶ δὴ καὶ τὰ μαντικὰ ὑδενός χειρὸν Τυρρῶνων ἐπισταμένην εἰπεῖν πρὸς αὐτὸν (Ταρκύνιον), ὅτι γένος ἀπὸ τῆς ἐστίας τῆς βασιλείας πέμπεται γενέσθαι κρείσσον ἢ κατὰ τὴν ἀνδρωπείαν φέσιν ἐκ τῆς μιχθείσης τῷ φάσματι γυναικός. Adde Plin. H. N. XXXVI, 70. Arnob. adv. gent. V, 18.*

23) Eodem refert Creuzer Symbol. T. III. p. 701. ed. tert. quae de Volumnio narrat Varro apud Nonium s. v.

24) Ambrosch, Studien und Andeutungen im Gebiet des altrömischen Bodens und Cultus, Fasc. 1. p. 6.

25) De una hasta loquitur Plut. Rom. 29.: *ἐν δὲ τῇ Ῥηγίᾳ δόρυ καθιδρυμένον Ἄρσα προσεγορεύειν* coll. Varrone apud Arnob. VI, 11.: pro Marte Romanos hastam (coluisse), Varronis ut indicant Musae, cf. Liv. XXIV, 10.; sed ut ad ancilis, quod coelo delapsum esse ferebatur, similitudinem plura alia Numa jubente a Mamurio facta sunt, quippe ne *δειπτεῖς* illud ab hostibus auferri posset (Dion. Hal. II, 74. Plut. Num. 13.), ita etiam hasta haec multiplicata esse videtur: nam de pluribus loquantur A. Gell. IV, 6. Justin. XLIII, 3. 2. Jul. Obseq. LX. XCVI. CIV. CVII. CX. Similia Witechindus Corvejensis de Saxonibus narrat: sacra sua propria veneratione venerati sunt, nomine Martem effigie columnarum imitantes, Herculem loco solis, quem Graeci appellant Apollinem. v. J. Grimm Mythol. German. p. 78.

26) Apud Macrob. Sat. I, 7. p. 231. Bip. coll. Steph. Byz. v. *Ἀβοριγῆς*.

miraculo deprehenso has sibi sedes praedictas esse didicerunt: vastatisque Sici-  
liensibus incolis occupavere regionem, decima praedae secundum responsum  
Apollini consecrata, erectisque Diti sacello et Saturno ara: cujus festum Sa-  
turnalia nominarunt. Cumque diu humanis capitibus Ditem, et virorum vi-  
ctimis Saturnum placare se crederent propter oraculum, in quo erat: *Καὶ κεφαλὰς*  
*Ἰδῆ καὶ τῷ πατρὶ πέμπεις φῶτα*, Herculem ferunt postea cum Geryonis pecore  
per Italiam revertentem suasisse illorum posteris, ut faustis sacrificiis infausta  
mutarent, inferentes Diti non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem  
arte simulata, et aras Saturnias non mactando viros sed accensis luminibus  
excolentes; quia non solum virum sed et lumina φῶτα significat.

Eadem ratio est XXIV. Argeorum, quorum scirpeae imagines Romae quot-  
annis e ponte Sublicio in Tiberim conjiciebantur, more itidem ab Hercule ad  
abolenda sacrificia humana instituto <sup>27)</sup>.

Similem permutationem sacrificii Compitalibus celebratam esse refert Ma-  
crobius Sat. I, 7. Nam quum aliquamdiu observatum esset, ut pro familiarium  
sospitate pueri mactarentur Maniae Deae matri Larum, Junius Brutus consul  
Tarquinio pulso aliter celebrandum constituit hoc sacrificium. Cum enim Apol-  
linis responso praeceptum esset, ut pro capitibus capitibus supplicaretur, Brutus  
capitibus alii et papaveris supplicari jussit remoto scilicet scelere infaustae sacri-  
ficationis: factumque est, ut effigies Maniae suspensae pro singulorum foribus  
periculum, si quod immineret familiis, expiarent.

In templo Dianae prope lacum Nemorensem sito institutum fuit, ut perfuga  
sacerdos constitueretur, qui sacerdotem priorem sua trucidasset manu, stricto-  
que semper gladio ad impetum propulsandum circumspiceret <sup>28)</sup>. Etiam Jovem  
Latiarem scriptores ecclesiastici usque ad suam aetatem humano sanguine expia-  
tum esse testantur <sup>29)</sup>. Quod testimonium si recentiores historici in dubium vocare  
voluerunt, sive quod illud ad Christianorum paganam religionem calumniantium  
invidiam referendum censerent <sup>30)</sup>, sive quod hominum cum bestiis commissiones

27) Varro de L. L. VII, 44. Fest. p. 259. Lind. Klausen, Aeneas und die Penaten II. p. 941.

28) Strab. V. p. 259.

29) Minuc. Felix XXX, 24.: hodieque colitur et quod Saturni filio dignum est,  
mali et noxii hominis sanguine saginatur. Alios locos conguessit Klausen, Aeneas  
und die Penaten II. p. 797.

30) Kortüm, Histor. Rom. p. 30.

improprie sacrificia humana vocari putarent <sup>31)</sup>, ea re ad maculam hanc a Romanorum religione amovendam nihil profecerunt, quod etiam sublato hoc facto aliis testimoniis probatum est, barbarum hunc morem usque ad ultima reipublicae tempora duravisse. Plinio enim auctore (H. N. XXX, 1, 3) non prius quam Cn. Cornelio Lentulo et P. Licinio Crasso Coss. A. U. DCLVII Senatus consultum factum est, ne homo immolaretur.

Quae testimonia si sequimur, res ita fere se habere videtur. Antiquissimi Italiae incolae humana Diis sacrificia offerre solebant; sed quo magis ad mansuetiorem vitae rationem, praesertim per Graecos advenas, qui Herculis persona in fabulis comprehenduntur, promoverentur, eo magis barbarum hunc morem aboluerunt. Superstitionis vero ea natura est, ut gravibus incidentibus calamitatibus, si consueta piacula nullam vim habere videntur, Deos propter negatos diminutosve honores irasci putent, et ad ritus diu intermissos redeant. Exemplum praebet Diodorus Sic. XX, 14. Carthaginienses, quum morem nobilissimos infantes immolandi ita temperassent, ut hominum pauperum infantes sacrificandos emerent, clade ab Agathocle accepta Saturnum sibi irasci suspicantes extemplo viginti nobilissimarum gentium liberos sacrificarunt. Similiter Tyrus cum ab Alexandro M. gravi obsidione premeretur, sacrum multis seculis intermissum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur <sup>32)</sup>. Eodem modo Romae cum post cladem Cannensem multis prodigiis terrentur animi, ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta; inter quae Gallus et Galla, Graecus et Graeca in foro boario sub terra vivi demissi sunt in locum saxo conseptum, jam ante hostiis humanis, minime Romano sacro, imbutum <sup>33)</sup>. Eodem loco a. U. DXX. decemviri Gallum virum et Gallam feminam

31) Conr. Schwenck, Mythol. Rom. p. 18. in hujus interpretationis auxilium Tertullianum vocat Apologet. 9: in illa religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Jupiter quidam quem ludis suis humano proluunt sanguine.

32) Curt. IV, 3.

33) Liv. XXII, 57. Kortüm, Hist. Rom. p. 31. hunc usum a Romanis alienum fuisse et ad Etruscas disciplinas referendum esse demonstraturus ad fatales libros a Livio laudatos provocat. Sed quinam fuerint illi fatales libri satis elucet ex alio Livii loco (XXII, 9): pervicit ut — decemviri libros Sibyllinos adire juberentur, qui inspectis fatalibus libris retulerunt Patribus. Cfr. Niebuhr, Hist. Rom. I. p. 564. Klausen, Aeneas und die Penaten p. 269.



cum muliere simul Graeca vivos defoderunt <sup>34)</sup> et mos ille, ut ex ea gente, cum qua bellabant, duo homines quindecimvirorum magistro carmen praeceunte sepelirentur vivi, tantum abest ut Senatus Consulto illo supra memorato, quo cavebatur ne homo immolaretur, aboleri potuerit, ut usque ad Plinii <sup>35)</sup> aetatem duraret. Etiam J. Caesar Dictator in campo Martio duos homines immolavit <sup>36)</sup>, et Augustus Perusia capta trecentos ex dediticiis electos, utriusque ordinis, ad aram divo Julio exstructam Idibus Martiis hostiarum more mactavit <sup>37)</sup>. Atque morem hunc nunquam plane abolitum esse ex lege apparet apud Paulum sent. rec. V, 26. §. 16: qui hominem immolaverint exve ejus sanguine litaverint, fanum templumve polluerint, bestiis obijciuntur, vel si honestiores sint capite puniuntur <sup>38)</sup>.

Haec vero sacrificia si in fabularum supra allatarum aliis Saturno, aliis Diti oblata esse dicuntur, fabula ferocem illum, cujus cultum Phoenices in insulas aliquot orasque maritimas Graeciae transtulerunt <sup>39)</sup>, Saturnum cum miti illo agresti-que, quem antiquissimi Itali coluerunt, Deo, commiscuit. Humana enim sacrificia non singulari alicui, sed omnibus, quos vel iratos esse putabant, vel quos propitios sibi reddere volebant, diis tanquam suavissima munera ut antiquissimis temporibus, quibus Deos ne nominibus quidem distinxerunt <sup>40)</sup>, ita recentiore qua moris hujus vestigia deprehendimus aetate, obtulerunt.

Videndum igitur, quae fuerit Saturni natura. Hyginus, Protarchum Trallianum secutus <sup>41)</sup>, Janum refert Italiam regno obtinuisse. Hunc a Saturno classe ad ipsum pervecto peritiam ruris edoctum, ferum illum et rudem ante fruges cognitum victum in melius redegisse Saturnumque in societatem regni adscivisse. Huic Deo insertiones surculorum pomorumque educationes et omnium hujuscemodi fertilium tribuunt disciplinas. Regni ejus tempora felicissima feruntur cum propter rerum copiam, tum etiam quod nondum quisquam servitio vel libertate discriminabatur. Ab hac fabula si detrahimus recentioris aetatis, quae deos in reges

34) Oros. IV, 13.

35) H. N. XXVIII, 2, 3.

36) Dio Cass. XLIII, 24. XLVIII, 14. 24.

37) Suet. Octav. 15.

38) v. Abegg, de antiquissimo Romanorum jure criminali p. 50.

39) v. Buttmann, de Saturno, Mytholog. II. p. 53.

40) Herod. II, 52.: ἔθνον δὲ πάντα πρότερον οἱ Πελαγοὶ θεοῖσι ἐπιχόμενοι, ὡς ἐγὼ ἐν Λαδοῦργῃ οἶδα ἀκρίτως· ἐπωνυμίην δὲ ἔδ' ἔνομα ἐποίησαντο ἑδενὶ αὐτίων.

41) Apud Macrobius Sat I, 7. p. 229. Bip.

vertere solebat, involucrum, antiquissimi Italorum Dii Janus et Saturnus supersunt. A rudi phalli symbolo, quo procreatricem naturae vim significaverunt, ad duas personas, inter quas hanc vim distribuerunt, adscenderunt, in quo ipso progressum quendam agnoscere debemus. Saturno, cui frugum et agriculturae omniumque quae ad terram foecundandam pertinebant inventionem tribuerunt, et ad cujus sidus Etrusca quoque disciplina fulmina quaedam, quae e terra exire credebantur<sup>42)</sup>, referebat, conjugem adjunxerunt Opem, per quam voluerunt terram significare<sup>43)</sup>: idque ipsum eo more exprimebatur, ut Opi sedentes vota facerent et de consulto terram contingerent, demonstrantes et ipsam matrem esse mortalibus appetendam<sup>44)</sup>. Hoc deorum par templo festoque communi colebatur, et sicut Saturnus Deorum princeps<sup>45)</sup> vocabatur, ita Saturnus et Ops principes dei in Latio fuisse dicuntur a Varrone<sup>46)</sup>.

42) Plin. H. N. II, 52. Errat Buttmannus l. l. pag. 29. si Saturnum diis agrestibus propterea adnumeratum esse putat, quod harpa quam manu gerebat, ad falcem messoriam arborumque putationem relata sit: nam profundiores huius numinis sensum recte intellexerunt ii quos sequitur Plutarchus Quaest. Rom. 17. p. 266. *ε. τὸν δὲ Κρόνον ἡγῶνται θεὸν ὑπεδαῖον καὶ χθόνιον*. 34. p. 272. *δ. Κρόνον δὲ τῶν κάτω θεῶν ὃ τῶν ἄνω νομίζονται*. Quod vero Varro L. L. V, 64., Fest. (s. v. Saturnus) et alii nomen Saturni a satu vel a sationibus derivant, ei etymologiae neque plus neque minus tribuendum censeo, quam innumeris aliis ab iisdem etymologiis ad fortuitam quandam syllabarum et significationis similitudinem excogitatis: atque eos ipsos, qui hanc etymologiam rident, non pudet Janum a janua derivare. Equidem in his et tot aliis verum me nescire aegre quidem fero, sed fateor. Neque movet me Consivae cognomen Opi datum, quo omnia de Saturni nomine dubia solvi putat Hartung de relig. Rom. II. p. 130; nam Saturni et Opis nomina multo antiquiora sunt, quam hoc cognomen.

43) Fest. s. v. p. 113. Lind.: Opis dicta est conjunx Saturni, per quam voluerunt terram significare, quia omnes opes humano generi terra tribuit, unde et opulenti terrestribus rebus copiosi, et hostiae opimae praecipue pingues et opima magnifica et ampla spolia. Ad verbum operio tanquam Deam reconditam refert Nork etymologisch-symbol. Realwörterbuch s. v. Saturnus T. IV. p. 209.

44) Macrobi. Sat. I, 10. p. 243. Bip.

45) Macrobi. Sat. I, 7. p. 228. Saturni — quem Deorum principem dicitis: et paullo post: Saturnum vero vel maximo inter ceteros honore celebratis.

46) L. L. V, 57. Si quis miretur nos Varronem, Caelum et Terram his Diis significari dicentem erroris accusare, eum ad ea quae nota 67 dicemus remittimus: optime contra Niebuhr Hist. Rom. I. p. 94. »Saturnus mit seinem Weibe Ops, höchst wahrscheinlich Erdgott und Erdgöttin, das Belebende und das empfangend Hervorbringende der Erde: sein Reich sind ihre Tiefen.«

Praeter hos deos terrenos alterum coelestium Deorum par, Janus et Jana, in summa veneratione fuerunt. Quos si Soli Lunaeque respondere dicimus, sententiam nostram optime a Jana incipientes probabimus. Hanc enim eandem cum Luna esse ex Varrone apparet de R. R. I, 37: nunquam rure audisti octavo janam et crescentem et contra senescentem? et quae crescente et quae senescente fieri oporteret? et tamen quaedam melius fieri post octavo janam <sup>47)</sup> quam ante? Huic nomini si dea praeponebatur, Deiana et inde per contractionem Diana facta est: si vero Deiva vel Diva Janae praeponebatur, Deiviana seu Diviana facta est, quod Varro (L. L. V, 68) absurde ita interpretatur: hanc (sc. Lunam) ut Solem Apollinem quidam Dianam vocant; vocabulum Graecum alterum, alterum Latinum, et hinc, quod luna in altitudinem et latitudinem simul eat, Diviana appellata. Ex his si satis apparet, Janam lunam fuisse, Janum solem fuisse quasi sponte sequitur. Neque defuerunt inter antiquos qui ita censerent: Nigidius enim apud Macrobius Sat. I, 9: Apollinem Janum Dianamque Janam esse dixit, cui addendus Arnobius adv. gent. III, 29: incipiamus ergo sollempniter ab Jano et nos patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solemque prodidere nonnulli. Et hos quidem viros recte vidisse mihi quidem ex accuratiore antiquissimarum harum religionum comparatione elucere videtur.

Ignem et sidera ab Italiae incolis divino honore culta esse jam propter Vulcaniam soli naturam consentaneum est. Tuscos si spectamus, horum litterae novem Deos emittere fulmina existimaverunt, eaque esse undecim generum, Jovem enim trina jaculari <sup>48)</sup>; et quantum locum doctrina de fulguratione in religione eorum obtinuerit non est quod pluribus demonstramus. Horum reli-

---

47) Idem nomen formulae a Pontifice nonas in Curia Calabra annuntiantis proclamatae apud Varronem L. L. VI, 27 intulit Scaliger: Dies te quinque calo Jana Novella. Septem dies te calo Jana Novella: Janam veterem novellam Graecorum *ἔνη καὶ νέη* respondere censens. Cfr. eundem de Emendat. Tempor. II. p. 174 et Isagog. Chronol. Canon. pag. 186 et 264. Sed veterem lectionem Juno Covella jam a Scioppio revocatam recte servavit O. Muellerus, cum Fulv. Ursino ad *κοίτην σελήνης* referens, i. e. eam lunae phasin, quae media est inter novam et plenam lunam, adsentientibus Schwencio Mythol. Rom. p. 36 et Hildebrando ad Arnob. III, 30. Covus est forma antiqua pro cavo, unde covum, i. e. cavum in aratro, quo bura extrema immittitur.

48) Plin. H. N. II, 52.

gionem a Sabina non tam diversam quam vulgo putant fuisse ex Apollinis nomine apparet, qui in Etrusco speculo Usil appellatur, apud Sabinos vero Auselius <sup>49)</sup>. Hunc ipsum solis cultum a Tito Tatio Sabinorum rege ad Romanos translatum esse Varro testatur <sup>50)</sup>.

In monte Soracte Soranus <sup>51)</sup> i. e. Dis pater colebatur, quem propter naturae similitudinem cum Apolline <sup>52)</sup> conjunxit religio a Graecis invecata. Hujus dei festum Plinius describit H. N. VII, 2: haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiae sunt paucae, quae vocantur Hirpi; hae sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur. Et ob id perpetuo Senatus consulto militiae omniumque aliorum munerum vacationem habent. Hirpi vero quum Sabinorum <sup>53)</sup> lingua lupi vocarentur, et hoc animal Apollini <sup>54)</sup> ante omnia alia sacrum esset, recentiores theologi eo magis inducti sunt ut hunc Soranum cum Graeco Apolline eundem esse statuerent, quoniam Apollo pestiferorum fulminum jaculator hac a parte atroci Ditis patris naturae respondet.

Etiam in Martis, qui Sabina <sup>55)</sup> lingua Mamers vocabatur, cultu a Sabinis ad Romanos translato nonnulla vestigia deprehendimus, quae vim ejus hominibus extimescendam non solum ad bella, sed etiam ad ignem coelestem agris segetibusque infestum relatum esse demonstrent <sup>56)</sup>. Quo fit ut in carmine fratrum Arvalium Lares invocentur, ne Martem sinant incurrere <sup>57)</sup>, et vere, ubi agro-

49) Fest. p. 20 Lind. Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus sit locus, in quo sacra faceret soli, qui ex hoc Auselii dicebantur, ut Valesii, Papisii pro eo quod est Valerii, Papirii.

50) L. L. V, 74: nam ut Annales dicunt, vocit (sc. Tatio aras) Opi, Florae, Vedio, Jovi Saturnoque, Soli, Lunae, Volcano et Summano itemque Larundae, Terminio, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae Lucinaeque. Cfr. Augustin de C. D. IV, 23.

51) O. Müller Etrusc. II. p. 68. — Dis pater Soranus vocatur, Serv. ad Aen. XI, 785.

52) Summe Deum, sancti custos Soractis Apollo, Virg. Aen. XI, 785.

53) Serv. l. l. nam lupi Sabinorum lingua Hirpi vocantur.

54) Creuzer Symbol. III. p. 76. IV. p. 34.

55) Varro L. L. V, 73. Osci tribuit hanc formam Festus s. v.

56) V. Schwenck Mythol. Rom. p. 82.

57) V. Egger Lat. Sermonis Reliquiae p. 71 ex restitutione Klauseni:

E nos Lares juvate

Neve luerve, Marmar, sins incurrere in pleoris:

rum lustrandorum causa suovitaurlia circumagebantur, Janum Jovemque vino praefari dein ad Martem preces mittere solebant, quarum hanc formulam proponit Cato de R. R. c. CXLI: »Mars pater te precor quaesoque uti sies volens propitius mihi, domo familiaeque nostrae, quous rei ergo agrum, terram fundumque meum suovitaurlia circumagi jussi. uti tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibeas, defendas averruncesque. utique tu fruges, frumenta, vineta virgultaque grandire beneque evenire sinas. pastores pecuaque salva servassis duisque bonam salutem valeditudinemque mihi, domo familiaeque nostrae. Harumce rerum ergo fundi, terrae agrique mei lustrandi lustrique faciendi ergo sicuti dixi macte hisce suovitaurlibus lactentibus immolandis esto. Mars pater ejusdem rei ergo macte hisce suovitaurlibus lactentibus esto.« Atque hanc ipsam Martis cum Diis agriculturae praesidibus conjunctionem ab antiquissimis inde temporibus usque ad ultima reipublicae tempora conservatam esse videmus. Quum enim M. Antonio A. Postumio coss. (A. U. DCLV.) senatui nunciatum esset, in sacrario in regia hastas Martias sese movisse, Senatus consultum factum est, ut Jupiter, Mars et caeteri Dii hostiis majoribus placarentur: »si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet«<sup>58)</sup>: et hanc ipsam ob causam Robigalia quae VII. a. C. Majas agebantur a flamine, Martis sacerdote, procurabantur<sup>59)</sup>, et Numa Pompilius Marti et Robigini ludos instituit<sup>60)</sup>. Etiam ex eo, quod antiquus Romanorum annus verno tempore a mense Marti sacro inchoavit, intelligitur propriam quandam hujus Dei cum reviviscente natura et sole novae hujus vitae auctore fuisse necessitudinem. Inde etiam lupus, lucis symbolum, Marti sacer fuit.

Si spectamus ad ea, quae magis cognita sunt, a Numa scimus ignis, qui posteriore aetate cum Vesta s. Hestia Graecorum conjunctus est, cultum ad Romanos translatum esse.

Post tot argumenta, quibus luciferos Deos primario apud antiquos Italiae populos, Etruscos potissimum et Sabinos, honore cultos esse probatur, memo-

---

Satur furere, Mars, limen sali, sta berber:

Semunis alternei advocapit conctos

E nos, Marmor juvato:

Triumpe, triumpe, triumpe.

58) Aul. Gell. IV, 6. Cfr. Liv. XXIV, 10.

59) Ovid. Fast. IV, 907. •

60) Tert. de spect. c. 5.

ratu non erit indignum, paucis abhinc annis in agro Sabino vasculum <sup>61)</sup> detectum esse, picturam ad perfectae artis Graecae tempora referendam exhibens, in qua juvenile Solis orientis caput, radiante disco circumdatum, ab attonitis Satyris salutatum conspicitur. Monendum vero, hoc monumentum non eo consilio a nobis allatum esse, ut ex eo ad remota illa, de quibus agimus, tempora, conclusionem faciamus, sed hoc nobis probari videtur, hunc Deorum luciferorum cultum apud Sabinos usque ad ea tempora, quibus Graeca religio et ars Romanorum animos occupaverat, pertinuisse.

Jam vero perspecta hac principum apud Sabinos Etruscosque Deorum, quorum cultus Romam translatus est, natura quaerimus, quinam inter hos locus assignandus sit Jano, qui Deorum Deus vocatur in carmine Saliari <sup>62)</sup>, quem tanquam antiquissimum Deorum invocat Juvenalis <sup>63)</sup>, cui ante omnes alios Deos sacrificia offerebantur <sup>64)</sup>, si nihil aliud fuit, nisi januarum <sup>65)</sup> praeses, vel si initium <sup>66)</sup> vel Chaos <sup>67)</sup> vel mundum <sup>68)</sup> significat. Haec serioris aetatis

61) Editum est in Monum. dell' Instit. archeolog. II. tav. 55. et a Gerharo: Ueber die Lichtgottheiten auf Kunstdenkmälern, Berl. 1840. Tab. I.

62) Apud Macrob. Sat. I, 9. coll. Egger Lat. Serm. Reliq. p. 74.

63) Sat. VI, 393. antiquissime Divum — Jano pater.

64) Cic. N. D. II, 27. Macrob. Sat. I, 9. Xenon quoque primo Italicôn tradit, Janum in Italia primum Diis templa fecisse et ritus instituisse sacrorum: ideo eum in sacrificiis praefationem meruisse perpetuam. Fest. p. 40. Lind. cui (sc. Jano) primo supplicabant veluti parenti.

65) Praeter etymologiam praesertim clavus, quem manu gerebat, huic sententiae favere videbatur: sed clavus potentiae symbolum est tum apud classicos scriptores, ut Orph. Hymn. 18, 4: *Πλάτων, ὅς κατέχει γαίης κληῖδας ἀπάσης*, tum in N. T. Ev. Matth. XVI, 19: *δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τοῦ θ. Αποcal. I, 18: ἔγωγε ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ἄδου*. Cfr. Böttiger Ideen zur Kunstmythologie I. p. 259. Unde Ovidius Fast. I, 117 sqq. hoc symbolum ita interpretatur:

Quidquid ubique vides, coelum, mare, nubila, terras,

Omnia sunt nostra clausa patentque manu.

Me penes est unum vasti custodia mundi,

Et jus vertendi cardinis omne meum est.

Praesideo foribus coeli cum mitibus Horis:

It, redit officio Jupiter ipse meo.

Adde Septimium apud Terent. Maur. p. 1896: cui reserata mugiunt aurea claustra mundi. Eodem referenda sunt cognomina Patulcus s. Patulcius et Clusius s. Clusivius Ov. Fast. I, 129. Serv. ad Aen. VII, 610. Laur. Lyd. de Menss. IV, 1. Macrob. Sat. I, 9.

66) Januae et initii significationem eandem esse Janique naturam in magna initii omnium rerum apud Romanos religione positam esset censet Hartung Rel. Rom. II. p. 219.

67) Fest. s. v. pag. 40. Lind. »Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem,

Graecis religionibus, quae nullum Jano par numen habuerunt<sup>69</sup>), occupatae commenta esse facile intelligent ii, qui historiam religionum ita perspectam habent, ut rudes populos neque ideas, quas abstractas vocant philosophi nostri, quale est principium, neque res in infinitum expansas, quas sensibus comprehendere non possunt, ut mundum vel Chaos<sup>70</sup>), divinis honoribus prosequi sciant, sed ea potissi-

---

biantem patentemque in profundum. Ex eo et *χάσσειν* Graeci et nos hiare dicimus. Unde Janus detracta aspiratione nominatur ideo, quod fuerit omnium primum; cui primo supplicabant veluti parenti et a quo rerum omnium factum putabant initium.« Hanc Festi sententiam nuper exstitit, qui in Academia Berolinensi repeteret magnoque hiatu hunc Festi locum nemini ad hunc diem cognitum fuisse pronuntiaret, siquidem fides habenda praeconi in Append. ad Ephemerid. Augustanas 1845. nr. 37. Nos quidem nolumus ea de re disputare, sed transcribere placet ea, quae his viginti abhinc mensibus in Encyclopaedia Reali s. v. Janus T. IV. p. 24. typis mandavimus: »Somit ist sich der verständige Ovid klar geblieben, wenn er in den Fasten I, 90 singt: nam tibi, par nullum Graecia numen habet. Von den Philosophen aber wurden schon vor 2000 Jahren gleich abgeschmackte Träumereien ausgebrütet, wie wir sie h. z. T. verdauen sollen. Der stoisirende Varro (bei August. C. D. VII, 9) identificirte den Janus mit der Welt (Janus est mundus) und suchte die Collision, in die er dadurch mit dem griechischen Zeus gerieth, durch eine spitzfindige Unterscheidung so auszugleichen, dass er dem Jupiter die Ursache, dem Janus den Anfang der Welt zuschrieb. Andere identificirten den Janus mit dem Chaos durch ein gar schönes Experiment: Chaos kommt von *χάσσειν* her, was dem lateinischen hiare entspricht, unde Janus detracta aspiratione nominatur ideo, quod fuerit omnium primum, Fest. s. v. Chaos pag. 40. Lind. vergl. Ovid Fast. I, 103, also Janus s. v. a. Hianus!!«

- 68) Varro apud August. C. D. VII, 9. Arnob. III, 29 loco supra p. 14. laudato. Serv. ad Aen. VII, 610 alii Janum mundum accipiunt, cujus caulae ideo in pace clausae sunt, quod mundus undique clausus est, belli tempore aperiuntur, ad auxilium petendum, ut pateant. Macrobi. Sat. I, 9 alii mundum i. e. coelum esse voluerunt; Janumque ab eo dictum, quod mundus semper eat, dum in orbem volvitur et ex se initium faciens in se refertur.
- 69) Ovid. Fast. I, 90 nam tibi par nullum Graecia numen habet. Dubito an jure reprehendatur Ovidius ab E. Q. Viscontio Mus. Pio-Clement. VI. pag. 74 ed. Mediol. »Non seulement nous avons reconnu que les doctrines théogoniques sur le Phanètès grec sont conformes aux opinions des mythologues latins sur Janus; non seulement nous avons vu attribuer également à ces deux divinités les deux faces; mais nous trouvons sur beaucoup de médailles grecques ces images doubles, et tout deux ayant de la barbe, comme la plupart des têtes de Janus, ou toutes deux imberbes, ou enfin l'une avec la barbe, et l'autre sans barbe, celle-ci est peut-être féminine, comme quelquefois sont les Janus latins des deux sexes.« Mercurio simillimum Janum esse censet Od. Gerhard de religione Hermarum p. 12 praeunte Zoëga de Obel. p. 223.
- 70) Chaos expressum putat Viscontius l. l. p. 75 in nummo Siculo Camarinac, in quo Phanetes cum duobus capitibus barbatis, discum super pectus tenens, taurum Dionysiacum sub pedibus habens representatus est: sed discum illum malim ad solem referre.

mum, quae sensibus subjecta sensibilem in vitam hominum exercent vim. In his vero primum locum obtinet Sol, qui omnem hominum vitam moderatur; cui si ab Italis, a quibus tot Deos luciferos cultos esse vidimus, nulli honores habiti essent, mirum sane foret<sup>71)</sup>.

Jam vero superest, ut de ea quaestione agamus, utrum Janus ab origine Latinorum Deus fuerit, an ex Etruria Romam immigraverit. Illud qui statuunt, nihil nisi traditionem de Jano antiquissimo Latii rege et etymologiam nomen ejus ab janua<sup>72)</sup> derivantem afferre possunt: monumenta vero si spectamus, ad Etruscos oculi nostri convertuntur. Apud hos enim Janum cultum esse, demonstrant nummi in diversis Etruriae urbibus maxime vero Volaterrae<sup>73)</sup> inventi,

71) Varro quidem L. L. V, 74 et Dion. Hal. II, 50 Solis cultum a T. Tatius Romam invectum esse testantur, sed neque per regni neque per reipublicae tempora mentionem ejus factam esse invenimus. Quintilianus demum Solis sacrum memorat (1, 7: in pulvinari Solis qui colitur juxta aedem Quirini), et Tertullianus de spect. 8. Solis templum in medio Circo Maximo fuisse narrat.

72) Macrobi. Sat. I, 9 apud nos Janum omnibus praeesse januis nomen ostendit, quod est simile *Ἰαναι*.

73) V. Inghirami Monumenti Etruschi o di Etrusco nome Tom. III. Tab. I. O. Müller Monum. art. antiq. Fasc. V. nr. 327. Hos nummos cum assibus Romanis, in antica parte Jani caput, in aversa navis rostrum exhibentibus confundentes insani illi rerum Etruscarum scriptores praecedente Guarnaccio Orig. Ital. I. cap. 3. pag. 98 Noam, antiquissimum Italiae regem conspici sibi visi sunt, qui altera facie veterem, altera novum mundum diluvio purgatum intueretur: navis nostro arcam Noae significari voluerunt, et globulis ad uvae baccas relatis Janum vitisatorem Virgilii (Aen. VII, 179) et Noam vini inventorem Veteris Testamenti eundem esse nulli dubitaverunt (l. l. T. II. pag. 206). Sed non multo melius placet Inghiramii interpretatio, qui enumeratis et refutatis variis de Jano conjecturis hanc proponit sententiam (Mon. Etrusch. T. III. p. 63): «quel nome Janus datogli da Latini e Janen da' Latini più antichi, come afferma Tertulliano (Apolog. c. 1. pag. 91) et ratifica Zeffirino suo parafraste, non meno che l'equivoco fra Giano d'Italia e Jone figlio di Zuto datoci da Aurelio Vittore per lo stesso Giano, mi fan sospettare che questi due nomi abbiano avuta forza appresso i Latini d'un medesimo significato e sinonimo di Jonio, nome d'un antichissimo popolo proveniente dall' Asia. Il Bocarto si versato nell' Ebraiche etimologie osserva, che Jon, Javan, come Jona, Jac ebbero nell' ebraico linguaggio lo stesso significato d' u o m o dell' Asia. Vediamo anche da Pausania i successori degli Etteni di Beozia venir dall' Asia col nome di Janti ed Aoni; e gli Jonj parimente nominati da Strabone Aoni e Jaoni; onde il Bocarto nuovamente avverte, che da Omero furon detti Jaoni e da altri Jades e Jannes. Ora si osservi qual piccola differenza passa fra quest' ultima voce Jannes, che indica gli Jonj di nazione, e Janen antica voce usata da sacerdoti Salj per indicar Giano. Non sarà dunque inverisimile, che ignorando da fonte storico la vera origine di Giano, si



qui in antica parte caput bifrons, in postica delphinum expressum habent. Simulacrum Jani cum quatuor frontibus captis Phaleris<sup>74)</sup>, civitate Tusciae, inventum esse Servius refert, et in Tuscorum theologia Janum coelum significasse ex Varrone<sup>75)</sup> discimus. Ex his Jani cultum ab Etruscis ad Romanos translatum esse satis probabile esse videtur: ad Etruscos autem a Lydis, qui Tyrrheno, Atys regis filio, duce in Etruriam commigraverunt<sup>76)</sup>, ex Asia invectum esse censemus. Nam ut antiquissimum Etruriae cum Asia commercium statuamus, cum aliis artis monumentis, Asiaticum characterem prae se ferentibus, quae nuper in Etruriae tumulis reperta sunt, tum singulari quadam monumentorum sepulcralium structura inducimur. Ne a proposito nostro aberremus, in describendis et explicandis illis monumentis diutius morari nolumus lectoresque nostros ad postumum Micali opus remittimus<sup>77)</sup>, sed de miro monumenti Alyattis in Lydia et Porsenae in Etruria consensu pauca libet adjicere. Herodotus I, 93. haec narrat: *ἔστι ἀντόθι Ἀλλυάττειο τῷ Κροίσει πατρὸς σῆμα, τῷ ἡ κρητὶς μὲν ἔστι λίθων μεγάλων, τὸ δὲ ἄλλο σῆμα χῶμα γῆς. ἐξεργάσαντο δὲ μιν οἱ ἀγοραῖοι ἄνθρωποι καὶ οἱ χει-*

---

congetturi dal nome suo poter esser questi il capo di qualche antichissima colonia Jonica venuta in Italia dall' Asia minore.» Adde p. 27: »È però verisimile che Giano venuto, come io suppongo, dall' Asia, e precisamente dalla Cananitide o antica Siria, ove fu poi la Fenicia, portasse in Italia il culto di Belo già da qualche secolo in Siria divinizzato col nome di Saturno.» Tempus etiam, quo Janus in Italiam venerit, designare conatur l. l. pag. 67 seculo mundi vicesimo primo.

74) Al. apud Serv. ad Aen. VII, 608 Faliscis. Cfr. Macroh. Sat. I, 9.

75) Laur. Lyd. de Mens. IV. Januar. 2: *ὁ δὲ Βάρβρων ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν Θεῶν πραγμάτων φησὶν, αὐτὸν παρὰ Θέοις ἑρανὸν λέγεσθαι καὶ ἔφορον πάσης πράξεως.*

76) Herod. I, 94.

77) Monumenti inediti a illustrazione della storia degli antichi popoli Italiani, Firenze 1844. tab. IV — VIII, quibus varia, quae in ingenti tumultu Volcenti inventa sunt, monumenta delineata sunt. Adjicimus, quae de his dixit R. Rochettus, Journal des Savants 1844. p. 629. »Effectivement, ce tombeau, qui par son étendue et par la valeur du mobilier qu'il renfermait mériterait plutôt le nom de mausolée, ne contenait que des objets d'une civilisation antérieure à l'introduction des arts de la Grèce en Italie; et c'est certainement, sous ce rapport, un des monuments qui, comme le grand tombeau de Caere et comme quelques-uns de ceux de Véies découverts aussi tout récemment, qui portent le même caractère d'une époque primitive, ont procuré à la science le plus de données neuves et positives sur cette époque si curieuse et si intéressante à connaître, parce qu'elle touche de si près au berceau de la civilisation étrusque, et par conséquent à l'époque des communications de cette nation énigmatique avec celles de l'Asie et de l'Égypte.»

ρῶναντες καὶ αἱ ἐνεργαζόμεναι παιδίσκαι. ἔροσι<sup>78)</sup> δὲ πάντες ἐόντες ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἔσαν ἐπὶ τῇ σήματος ἄνω κ. τ. λ. Cum hac descriptione compara quae Plinius H. N. XXXVI. s. 19. s. 9. M. Varronis verbis de Porsenae sepulcro narrat: »Sepultus est sub urbe Clusio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenūm, alta quinquagenūm: inque basi quadrata intus labyrinthum inextricabilem, quo si quis impropere sine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides stant quinque, quatuor in angulis, in medio una: in imo latae pedum quinūm septuagenūm, altae centum quinquagenūm: ita fastigatae, ut in summo orbis aeneus et petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant exapta catenis tintinnabula, quae vento agitata longe sonitus referant, ut Dodonae olim factum. Supra quem orbem quatuor pyramides insuper singulae exstant altae pedum centenūm. Supra quas uno solo quinque pyramides, quarum altitudinem puduit Varronem adjicere. Fabulae Etruscae tradunt, eandem fuisse, quam totius operis: adeo vesana dementia quaesisse gloriam impendio nulli profuturo. Praeterea fatigasse regni vires, ut tamen laus major artificis esset.

In hac descriptione Varronis et Plinii verba bene distinguenda sunt. Ex Varronis verbis, a Plinio laudatis, monumentum hoc illius aetate exstitisse satis apparet<sup>79)</sup>: sed Plinii tempore, cum monumentum destructum esset, fabulosam ejus descriptionem excogitatam esse, ex verbis, a Plinio de suo adjectis elucet: supra quas uno solo quinque pyramides, quarum altitudinem puduit Varronem adjicere. Fabulae Etruscae tradunt, eandem fuisse, quam totius operis. Quum vero nihilominus sint<sup>80)</sup>, qui universam descriptionem fabulis adnumerandam esse censeant, hanc quaestionem in medio relinquere possumus, nam ad probandum id, quod nos volumus, etiam fabularum

78) *Ὀῖκος* de terminis sive metis ad conii formam exstructis intelligit Fr. Thierschius, qui in commentatione de sepulcro Alyattis Actis Academiae Monacensis. 1835. Vol. I. p. 395 sqq. inserta ingeniosam monumentorum horum comparisonem proposuit, cui addenda sunt, quae jam antea Inghiramius Monum. Etruschi T. IV. p. 168 sqq. et Creuzerus in Annal. Vindobon. 1851. T. LIV. pag. 115 dixerunt. Dubia quidem movet Göttingius (Geschichte der röm. Staatsverfassung p. 29), sed nullam interpretationem meliorem protulit.

79) Praesenti tempore loquitur: pyramides stant quinque: — singulae exstant altae pedum centenūm.

80) Götting I. I. pag. 29.

commenta valent, quippe quae, sicubi de artis monumentis loquuntur, non possunt non talem artium statum qualis tum, cum fabulae fingerentur, erat, exprimere, sed eam sibi sumunt libertatem, ut formas vere existentes prodigioso quodam more componant et ad fabulosam magnitudinem splendoremque exaugeant<sup>81)</sup>. Quae quum ita sint, similitudo inter Alyattis sepulcrum, quod super basi quadrata quinque metas gerebat et inter Porsenae monumentum, in quo supra quadrato pyramides quinque exstructae fuerunt non fortuita, sed historico quodam nexu orta esse videtur: eaque sententia confirmatur monumento, quod Curiatorum vocatur<sup>82)</sup>, ad viam Appiam prope Albanum sita, cujus quinque coni supra basi quadrata exstructi et ipsi ad Etruscos, qui florentibus rebus suis eas terras tenuerunt, auctores nos remittunt.

Si vero hac mira monumentorum similitudine Etruscorum cum Lydis cognatio extra dubium posita est, in promptu est, eodem commercio Deos principes, Solem et Lunam, Hermaphroditorum more in unam naturam concretos<sup>83)</sup>, ex Asia ad Etruscos delatos esse: eaque ipsa sententia Romanorum nonnullis suboluisse videtur, qui Macrobio auctore<sup>84)</sup> Janum eundem esse, atque Apollinem et Dianam et in hoc uno utrumque exprimi numen affirmaverunt. Cum hac interpretatione fere consentiunt Etrusci, qui Varrone<sup>85)</sup> teste bicipitem Janum Coelum esse dixerunt. Romam vero Jani cultus a Numa<sup>86)</sup> inventus esse dicitur, qui hoc nomine Solis cultum apud Sabinos et Etruscos receptum in nova urbe consociare voluisse videtur. Quum vero Varrone auctore<sup>87)</sup> Romani

81) Exempla vide apud O. Muellerm Archæolog. p. 29 sq.

82) V. Inghiram. Mon. Etruschi Ser. VI. tav. F. 6.

83) Vid. Büttiger Ideen zur Kunst-Mythologie T. I. p. 248.

84) Macrobi. Sat. I, 9.

85) Vid. not. 75.

86) Liv. I, 19. Contra Augustinus de C. D. IV, 25: Romulus constituit Romanis Deos Janum, Jovem, Martem, Picum, Faunum, Tiberinum, Herculem et si quos alios. Titus Tatius addidit Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum, Lucem et quoscunque alios. Macrobius Sat. I, 9 si bello a Sabinis propter virgines raptas gesto Jani templum jam existisse dicit, id quidem ad anachronismum in locis designandis frequentem referendum videtur.

87) August. de C. D. IV, 31. coll. VII, 5. Plut. Num. c. 8: ὅτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀήρητον καὶ νοητὸν ἐπελάμβανεν εἶναι τὸ πρῶτον, καὶ ὅπως διεκόλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα θεῷ Ῥωμαίους νομίζειν. ἐδ' ἦν παρ' αὐτοῖς ἕτερον γραπτὸν ἢ τε πλαστὸν εἶδος θεῷ πρότερον, ἀλλ' ἐν ἑκατὶν ἐβδομήκοντα τοῖς πρῶτοις ἔτει ναὺς μὲν οἱ-

plus quam annos centum et septuaginta Deos sine simulacris coluerint, per hoc omne tempus etiam Janum sine simulacro cultum et imagines ejus cum reliquis demum Etruscorum disciplinis et artibus Romam invectas esse censemus. Ex hoc ipso vero, quod Dii multos annos sine simulacro Romae culti sunt, intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut Romani, quorum austerum severumque ingenium ab hac utriusque sexus in una persona conjunctione, apud Asianos usitata, abhorrebat, Janum ad unum Solem, apud Sabinos antiquissima religione cultum referrent, caputque bifrons cujus imagines a Tarquinio Romam translatae sunt, de Sole oriente et occidente interpretarentur, ideoque utrique capiti barbam adderent.

Perspecta jam primaria Jani natura facile erit ad demonstrandum, qua de causa Numa Janum in capite anni posuerit primumque<sup>88)</sup> ejus mensem ab eo denominaverit, eundemque non modo rerum domesticarum sed etiam belli pacisque arbitrum fecerit. Inde factum, ut ad Janum omnium rerum initium referretur: januarum vero praeses solummodo propter fortuitam nominis similitudinem boni ominis causa constitutus est: nomen ipsum autem idem est quod aeolicum nomen Ζᾶν, quod quam cognatum sit cum Jano facile patebit, si formas Ζεὺς et Jovis, ζεύω et jungo, ζυγόν et jugum comparaveris<sup>89)</sup>.

Haec erant, quae de Diis hujus antiquissimae religionis majoribus haberemus proponenda: de magno Deorum minorum grege alia scribendi occasione oblata disputabimus.

Jam vero tempus esse videtur, ut ad primariam scriptionis hujus causam transeamus. In eo enim sumus, ut aulam academicam, a Rege nostro Clementissimo, artium et litterarum patrono, liberalissime concessam, cujus funda-

---

κοδομήμενοι καὶ καλιάδας ἱερὰς ἰστοῦντες, ἄγαλμα δ' ἐδὲν ἑμμορφον ποιούμενοι διτέλλεν. Concedimus quidem Heynio (Opusc. acad. II. pag. 71) hanc Numae sententiam a Plutarcho ad serioris philosophiae subtilitatem exornatam esse, sed ante omnia hoc tenendum est, Solis ignisve cultum natura sua a simulacrorum cultu alienum esse: cfr. Böttiger l. l. T. I. p. 251. Creuzer Symbol. I. p. 65 ed. tert.

88) Ovid. Fast. I, 44. Macrob. Sat. I, 13. Ideler Handb. der Chronol. T. II. p. 50 seqq.

89) V. Buttmann Mytholog. II. p. 73. Böttiger Kunst-Mythologie I. p. 249. Janum, qui etiam Dianus, ex Sanscrito diu coelum, lux, derivat Lindem. ad Fest. p. 453.

menta quatuor abhinc et quod excedit annis a CAROLO, juventutis Württembergicae Principe, summisque regni gubernandi ministris jacta sunt, feliciter absolutam usibusque nostris accommodatam sollemniter dedicemus. Cui festo, pridie Cal. Novembres celebrando, ut frequentes adsitis, Cives Academici, omnesque quicunque rebus nostris bene vultis, doctrinaeque ab alma matre nostra haustae grato animo meministis, invitare vos volumus.





